

366

364

370

Habent etiam capellam sub monte Calvariae, in qua reges Je-
rusalem latini sunt sepulti. Ut patuit supra fol. 117 A.

360

De Jacobitis haereticis.

375

Jacobitae sunt etiam in templo, et possident in suis terris
multa regna orientis. Sunt autem singulares heretici, in mul-
tis damnabiliter errantes. Circumcisionem servant; et pueros
ad ubera matris pendentes sub utraque specie communicant;
et circa Christi humanitatem multipliciter errant. Hi habent
parvam capellam annexam dominico monumento, in qua ha-
betur altare et lampades. Locum etiam inunctionis Domini
possident, in quo VII habent lampades ardentes.

355

415

315

465

De Christianis de India, Abissinis.

265

Ahassini, sive Christiani de India, sub abbate degentes,
templum nostrum sancti sepulchri etiam possident. Sunt au-
tem vitae valde austerae, pauperes, et multorum errorum.
Laici eorum studiose ad Missam convenient in solennibus, et
tunc omnes utriusque sexus incipiunt altis vocibus jubilare, sal-
tare pedibus, plaudere manibus, conglobantes se in circulis ibi
sex vel septem, ibi novem vel decem, et interdum per totas noc-
tes sic canunt, potissimum in nocte resurrectionis Christi, qua
non cessant canere et cursitare, donec illucescat, et ita fer-
ventes sunt hoc agentes, quod multi propter labores illos infir-
mantur. Et quamquam ista faciant et observent, tamen per-
niciosis erroribus infecti sunt, et haeretici abhorribiles ecclesiae
sanctae. Accipiunt enim cum Judaeis, Sarracenis et Jacobi-
tis inutilem, imo damnabilem circumcisionem, et adurunt ferreo
ignito calamo suos parvulos in facie, nec baptismum aquae
curant recipere. Hi possident capellam, in qua sub altari lapis
stat, super quem Dominus sedens spinea corona fuit corona-
tus, in qua habent lampadem et altare. Porro, capella eorum
cum altaribus, in qua cottidiana sua Officia peragunt, est ad
sinistram partem, circa ingressum sancti sepulchri, inter colum-
nas templi sagis et mattis et aliis velis loco parietum circum-
data, et sunt ad funes suspensa.

Ende

Anfang

